



La constitución de Servio Tulio. Clases y centurias. La cuarta y quinta clase: sus armas.

In quarta classe census quinque et viginti milium erat; totidem centuriae factae sunt. Arma mutata sunt, nihil praeter hastam et verutum datum est. Quinta classis aucta est; centuriae triginta factae sunt. Fundas, lapidesque missiles hi secum gerebant. In his accensi 5 sunt cornicines tubicinesque in duas centurias distributi sunt. Undecim milibus haec classis censebatur. Hoc minor census reliquam multitudinem habuit; inde una centuria facta est immunis militia. Ita pedestri exercitu ornato distributoque equitum ex primoribus civitatis 10 duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias, tribus a Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratae erant nominibus fecit.